

Qui potenter hic regnavit largus, dives plerum,
 qui cultum dei ampliavit, sacerdotes, clerum, (fol. 64)
 qui rebelles expugnavit atque hostem ferum,
 qui clementer iudicavit cunctis iustum verum,
 hunc mors seva iam prostravit primum mitem herum;
 iam a nobis emigravit senex plenus dierum.

Tale formans scema:

Hoc sacra pandit lex, cognosco, et est verum:
 mortuus est senex plenus nunc dierum.

Que sunt verba thematis nostri. In quibus, rogo, conspiciate, quomodo
 cesar augustus

vitam istam consumavit,	ut celi iubet rex;	Mortuus est
cuique rectum iudicavit,	ut dei mandat lex;	senex
iam a nobis remeavit,	quo lacrimatur grex.	plenus dierum.

Ubi, rogo, videte, quomodo

princeps pacis et patronus ad celi vadit regem;	Mortuus est
orphanorum pater pronus dei implens legem;	senex
ductor gentis, tutor bonus suum liquit gregem.	plenus dierum.

Quapropter, karissimi, conspiciate, qualiter

regum rex hanc vitam terminavit;	Mortuus est
legum codex, quod iustum vivens preamavit;	senex
gregum lex a nobis iam migravit.	plenus dierum.

Aspicite igitur, karissimi, quomodo

magnum regem mors prostravit,	ut lucet in aspectu;	Mortuus est
bona regni ampliavit	cordis ex affectu.	senex
Gentem digne gubernavit	bonorum cum profectu.	plenus dierum.

Concordancia primi: *Mortuus est, et regnavit filius eius pro eo* [4 Rg. 13, 24]. Pro 2^o: *Iunior fui^y, etenim senui, et non^y vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem*, in Ps. [36, 25]. Pro 3^o: *Vitam petiit a te, et tribuisti ei*, Ps. 20, 5. Tantum de thematis divisione.

Dixi primo, quod ·N· princeps noster vitam istam consumavit, ut iubet celi rex, quia mortuus est. *Mortuus est Moyses famulus domini iubente deo*, Dt.^z [34, 5]. Et si queras a me: quis est mortuus, dic^a mihi, et qualis, respondeo:

^y) Fehlt Ms.

^z) Gn Ms.

^a) d mit hochgestelltem t Ms.